



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Canones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
...

- mulieribus lauacra exercere.*
- XXXI. *De cauendis hæreticorum copnubiis.*
- XXXII. *Non licere ab hæreticis eulogias accipere.*
- XXXIII. *Non debere cum hæreticis aut schismaticis orare.*
- XXXIV. *Non eundem ad falsos martyres.*
- XXXV. *Non licere Christianis, derelicta Ecclesia, ad angulorum congregationes colligi.*
- XXXVI. *Non licere clericos magos vel incantatores esse, aut phylacteria facere.*
- XXXVII. *Non licere ab hæreticis vel Iudæis feriatica, qua mittuntur, accipere.*
- XXXVIII. *Non licere a Iudæis azyma accipere.*
- XXXIX. *Non licere cum paganis festa celebrare.*
- XI. *Episcopus ad Synodum vocatos non debere contemnere.*
- XLI. *Non debere clericum vel laicum sine epistolis peregrinari.*
- XLII. *Nullum clericum debere sine Episcopi sui iussione peregrinari.*
- XLIII. *Ministros non debere ab ostiis recedere.*
- XLIV. *Non debere mulierem ingredi ad altare.*
- XLV. *Non oportet per duas septimanas quadragesimæ aliquem ad baptismum suscipere.*
- XLVI. *Baptizandos debere symbolum fidei & discere & docere.*
- XLVII. *De his qui in egritudine baptizantur.*
- XLVIII. *Quia post baptismum chrismandum est.*
- XLIX. *In quadragesima Sabbato tantum & Dominica offerendum est.*
- L. *Non licere quinta feria septimana maioris ieiunium solui.*
- LI. *Non debere in quadragesima, nisi Sabbato & Dominica, natalitia martyrum celebrari.*
- LII. *Non licere nuptias fieri in quadragesima.*
- LIII. *Non licere Christianos ad nuptias euntes, cantare aut ballare.*
- LIV. *Non licere ministros altaris vel ceteros quoslibet, spectaculis quæ in nuptiis aut in scenis exhibentur, interesse.*
- LV. *Non debere clericum vel laicum Christianum ex symbolis conuiuia celebrare.*
- LVI. *Non oportere presbyteros ante ingressum Episcopi ingredi, aut sedere in tribunalibus.*
- LVII. *Non debere in vicis & villis Episcopos ordinari, neque presbyteros sine praecepto vel consilio Episcopi aliquid agere.*
- LVIII. *Non oportere in domibus ab Episcopis vel presbyteris oblationem fieri.*
- LIX. *Non licere psalmos ab idiotis compositos, in Ecclesia dici, nec libros, qui non sunt Canonici, legere.*

## CANONES.

**S**ANCTA Synodus apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ conuocata ex diuersis prouinciis Asiæ, regulas exposuit Ecclesiasticas, sicut infra scriptum est.

I.

De eo quod oportet secundum Ecclesiasticum Canonem, eos qui libere & legitime secundo nuptiis connexi sunt, nec occultam permixtionem operati sunt, pauco tempore exempto, vacare orationibus & ieiuniis, & secundum veniam reddi eis communionem.

II.

His qui diuersorum peccatorum lapsus incurunt, & instant orationi, confessioni ac pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conuersionem demonstrantes, pro qualitate peccati, pœnitentiæ tempus tribuendum est: propter misericordiam & bonitatem Dei, qui huiusmodi sunt, reuocandi & ad communionem sunt applicandi.

III.

Non oportet neophytum promoueri ad ordinem sacerdotalem.

IV.

Non licere manus impositionem super ordinandos præsentibus catechumenis fieri.

V.

Non licere fenerari ministris altaris, vel in sacerdotali ordine constitutis, vel vsuras vel lucra, quæ fescupla dicuntur, accipere.

VI.

Non concedendum hæreticis ingressum domus Dei, in hæresi permanentibus.

VII.

Nouatianos, vel etiam Quartodecimanos, quos Græci Tessaradecatites appellant, id est, qui quar-

tadecima luna primi mensis cum Iudæis Pascha celebrant, sed & catechumenos eorum vel fideles non recipi, priusquam condemnent omnem hæresim plenissime; ante omnia autem, in qua detinebantur. Et nunc qui apud eos fideles dicuntur, symbolum fidei doceantur: atque ita vnctos sancto chrismate, diuino sacramento communicare conueniet.

VIII.

Eos qui conuertuntur ab hæresi, quæ dicitur Cataphrygarum, seque in clero constitutos existimant, quamuis magni dicantur, huiusmodi cum omni diligentia catechizari oportet, & baptizari ab Ecclesiæ Catholicæ Episcopis & presbyteris.

IX.

Non concedendum in cœmeteria & quæ martyria hæreticorum dicuntur, Catholicos orationis gratia & petendæ curationis intrare. Sed & qui ierint, si sunt fideles, incommunicabiles factos, ad pœnitentiam vsque ad aliquod tempus redigi: pœnitentes autem eos, & errasse se confitentes, suscipi oportere.

X.

Eos qui ad Ecclesiam pertinent, indifferenter filios proprios hæreticorum nuptiis minime sociare debere.

XI.

Mulieres quæ apud Græcos presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ seniores, vniuiræ & matriculariæ nominantur, in Ecclesia, tamquam ordinatas, constitui non debere.

## XII.

Episcopus non oportet præter iudicium Metropolitanorum & finitimorum Episcoporum constitui ad Ecclesiæ principatum. Nec eligantur nisi hi, quos multo ante nota probabilisque vita commendat; & nihilominus in sermone fidei & recta operatione per suam conuersationem fuerint probati.

## XIII.

De eo quod non sit populis concedendum, electionem facere eorum qui altaris ministerio sunt applicandi.

## XIV.

Sanctas oblationes, ad vicem eulogiarum, per festiuitatem Paschalem ad alias parochias mitti minime oportere.

## XV.

Non licere præter Canonicos psaltes, id est, qui regulariter cantores existunt, quique pulpitem ascendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in Ecclesia psallere.

## XVI.

Sabbatis euangelia cum aliis scripturis legenda esse.

## XVII.

In processionibus non connectere, id est, ex diuersis versibus & sensibus libri vnum canticum minime coniungere, sed singulorum psalmorum ordinabiliter de medio debere fieri lectionem.

## XVIII.

De eo quod semper easdem supplicationes orationum,

ANNO CHRISTI ... tionum, & ad horam nonam & vesperam, oportet celebrari.

XIX.

Quoniam catechumenorum orationem separatim, & prius post tractatum Episcoporum oportet celebrari. Quibus egressis, orent etiam hi qui in pœnitentia sunt constituti; & post manus impositionem his quoque abscedentibus, tunc fideles orare debent. Quorum tres orationes fiant, vna quidem, (id est, prima) per silentium, secunda vero & tertia per vocis pronuntiationem. Et tunc demum osculo pacem dari debere. Et posteaquam presbyteri Episcopo pacem dederint, tunc etiam laicos dare. Et sic oblatio offeratur. Solis autem ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.

XX.

Quoniam non oportet diaconum sedere præfente presbytero, sed ex iussione presbyteri sedeat. Similiter autem honorificetur & diaconus a ministris inferioribus, & omnibus clericis.

XXI.

\* diaconum. Quoniam non oportet subdiaconos licentiam habere in secretarium, quod Græci \* diaconicon appellant, ingredi, & contingere vasa Dominica.

XXII.

Ministrum non oportet orario uti, nec ostia derelinquere.

XXIII.

Quoniam non oportet lectores aut psaltes orario uti, & sic legere aut psallere.

## XXIV.

Quoniam non oportet altari deseruientes a presbyteris vsque ad diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes vsque ad ministros, aut lectores, aut psaltes, aut exorcistas, aut ostiarios, aut etiam eos qui in proposito continentia sunt, tabernas intrare.

## XXV.

Non oportet ministros panem dare, nec calicem benedicere.

## XXVI.

Non oportet exorcizare eos, qui necdum ab Episcopis sunt prouecti, neque in Ecclesiis, neque intra domos.

## XXVII.

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos, aut etiam laicos, ad agapen vocatos, partes tollere, propter iniuriam qua ex hac occasione Ecclesiastico ordini possit deputari.

## XXVIII.

Non oportet in Dominicis seu Ecclesiis agapen facere, & intus manducare vel accubitus sternere.

## XXIX.

Non oportet Christianos iudaizare, & in Sabato vacare, sed operari eos in eadem die, Dominicam præponendo eidem diei. Si hoc eis placet, vacent tamquam Christiani. Quod si inuenti fuerint iudaizare, anathema sint.

## XXX.

Quoniam non oportet ministros altaris, vel etiam

ANNO  
CHRISTI  
...

clericos quoslibet, aut continentes se, aut omnem omnino Christianum, cum mulieribus lauacra habere communia. Hæc est enim prima apud gentiles reprehensio.

XXXI.

Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potius accipere; si tamen profiteantur, Christianos se futuros esse Catholicos.

XXXII.

Non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quoniam istæ maledictiones magis sunt, quam benedictiones.

XXXIII.

Non oportet cum hæreticis vel schismaticis orare.

XXXIV.

Non oportet Christianum derelictis martyribus Christi, abire ad falsos martyres. Hi enim alieni a Deo sunt. Quicumque autem abire voluerint, anathema sint.

XXXV.

Non oportet Christianos derelicta Ecclesia Dei abire, & angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere; quæ omnia interdicta sunt. Quicumque autem inuentus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema sit: quoniam derelinquens Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, accessit ad idola.

XXXVI.

Quoniam non oportet ministros altaris aut cle-

*Concil. Tom. 2.*

P ij



ricos magos & incantatores esse, aut facere quæ dicuntur phylacteria, quæ sunt magna obligamenta animarum: hos autem, qui talibus rebus videntur, proiici ab Ecclesia iussimus.

XXXVII.

Non oportet a Iudæis vel hæreticis feriatica, quæ mittuntur, accipere, nec cum eis dies agere festos.

XXXVIII.

Non oportet a Iudæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum.

XXXIX.

Non oportet cum paganis festa celebrare, & impietatis eorum habere societatem.

XL.

Non oportet vocatos Episcopos ad Synodum contemnere, sed abire debere, & aut docere, aut doceri quæ sunt ad Ecclesiæ ceterorumque correctionem. Quod si contempserit, seipsum videbitur accusasse: nisi forte per infirmitatem ire non possit.

XLI.

Non oportet ministrum altaris, vel etiam laicum sine Canonicis literis, id est, formata, aliquo proficisci.

XLII.

Non oportet ministrum altaris vel quemlibet clericum præter iussionem Episcopi ad peregrina proficisci.

XLIII.

Non oportet ministros vel breui tempore ab officiis deesse, & orationi vacare.

XLIV.

Non oportet mulieres ingredi ad altare.

XLV.

Non oportet post duas hebdomadas quadragesimæ quemquam ad baptismum suscipi.

XLVI.

Baptizandos oportet & fidei symbolum discere, & quinta feria vltimæ septimanæ vel Episcopo vel presbyteris reddere.

XLVII.

Qui in ægritudine constituti baptismum ceperunt, facti sani, fidei symbolum edoceantur, vt nouerint qua donatione digni sunt habiti.

XLVIII.

Oportet baptizatos post baptismum chrismatism quoque cælestis, & regni Christi participes fieri.

XLIX.

Non oportet in quadragesima panem offerri, nisi Sabbato & Dominica tantum.

L.

Non oportet in quadragesima quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiunium dissolui, & totam quadragesimam inhonorari, sed per totos hos dies ieiunare, & escis abstinentiæ conuenientibus, id est, aridioribus vti.

LI.

Non oportet in quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbato & Dominica tantum memoriam fieri.

## LII.

Non oportet in quadragesima aut nuptias aut quælibet natalitia celebrare.

## LIII.

Non oportet Christianos ad nuptias euntes, vel ballare vel saltare, sed caste cœnare vel prandere, sicut competit Christianis.

## LIV.

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in scenis exhibentur, interesse; sed antequam thymelici ingrediantur surgere eos, & de conuiuio abire.

## LV.

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos, vel etiam laicos Christianos, ex symbolis (quæ vulgus commensalia appellat) conuiuia celebrare.

## LVI.

Non oportet presbyteros ante ingressum Episcopi ingredi, & sedere in tribunalibus, sed cum Episcopo ingredi: nisi forte aut ægrotet Episcopus, aut in peregrinis cum esse constiterit.

## LVII.

Non oportet in villis & vicis Episcopos ordinari, sed visitatores, id est, qui circumeant, constitui: hos autem qui antehac ordinati sunt, nihil agere sine conscientia Episcopi ciuitatis. Similiter etiam presbyteri nihil sine præcepto & consilio Episcopi agant.

## LVIII.

Non oportet in domibus oblationes ab Episcopis siue presbyteris fieri.

## LIX.

Non oportet ab idiotis psalmos compositos & vulgares in Ecclesiis dici, neque libros qui sunt extra Canonem legere, nisi solos Canonicos noui & veteris testamenti.

## LX.

Quæ autem oporteat legi, & in auctoritatem recipi, hæc sunt: Genesis mundi, Exodus Ægypti, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus Naue, Iudices, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Esdræ duo, Liber psalmodum 150. Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Iob, Hester, duodecim prophetæ, id est, Osee, Amos, Iohel, Abdias, Ionas, Michæas, Naum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Item Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Noui autem testamenti: Euangelia quatuor, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem; Actus Apostolorum: Epistolæ Catholicæ septem; Iacobi vna; Petri duæ, prima & secunda; Ioannis tres, prima, secunda & tertia; Iudæ vna: Epistolæ Pauli Apostoli quatuordecim: ad Romanos, ad Corinthios prima & secunda: ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenfes, ad Colossenses, ad Thessalonicenses, prima & secunda: ad Timotheum, prima & secunda: ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.